

V c
1096





QK. 4, 21.
d. 17, 21.

V c
1096

ORIGINES
ET SVCCESIONES
COMITVM
WETTINENSIVM

Ad Serenissimos vsque Saxoniae
Duces & Electores,
Qui ab illis omnes orti sunt,

EX ANTIQVIS MONVMENTIS
DEDVCTAE AC ILLVSTRATAE

AVCTORE
CHRISTOPHORO CHR. F. CELLARIO,
WEISSENFELSENSI.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Sumtu IO. FRID. GLEDITSCH, Bibliopol. Lips.
Exscripsit CHRISTIAN. HENCKEL, Acad. Typogr,
CIO MDCXCVII,

4

72.103



ORIGINES
ET SUCCESSIONES
COMITUM
WETTINENSIVM
Ad Serenissimos vique Saxoniae
Ducos & Electores



EX ANTIQVA
DEDUCTA
LACTORE
CHRISTOPHORO
WEISS
HALLAE MACH...
Summa IO. FRID. GLEDITSCH, Bibliopol. Lips.
P. Nicolae CHRISTIANI HENCKENS, Acad. Typogr.



ILLVSTRISSIMO DOMINO
DOMINO
EVERHARDO
LIBERO BARONI
DE DANCKELMAN
DYNASTAE IN BRESQVE ET WETTIN
ET CETERIS,
POTENTISSIMI ELECTORIS BRAN-
DENBURGICI
MINISTRO STATUS PRI-
MARIO,
ET OMNIVM CONSILIORVM COLLE-
GIORVMQVE
SVMMO PRAESIDI,
DOMINO MEO GRATIO-
SISSIMO
FELICITATEM.

ILLVSTRISIME DOMINE

DOMINO
E V E R H A R D O
LIBERO BARONI
DE DANCKELMAN
DYNASTAE IN BRUNSVIC ET WETTIN
ET GOTTORGI
POTENTISSIMI ELECTORIS BRAN-
DENBURGICI
MINISTRO STATVS PRL
MARTIO



Ereor equidem, ne re-
prehensionem incur-
ram, dum tenue hoc o-
pusculum, quod de
Wettinensi Comitatu
composui, MAXIMO NOMINI TVO,
cui amplissima cuncta debentur, de-
dicare non dubitavi. Ingenue fate-
or, aliter hanc operam exiisse, quam
mi-



mihī propofitum fuerat; & viliorem,
quam pro ſpe, qua concitabar, enatam
tandem eſſe. Ingenii mei non diffiteor
tenuitatem, cui ætas etiam non nihil
addit excuſationis: neque deprecari
ſuſtineo, ſi quid culpæ hæret in indu-
ſtria: ipſum vero argumentum opu-
ſculi non ignoras, SAPIENTISSIME
DOMINE, quantæ immerſum obſcuri-
tati ſit, quum in illos tractus tempo-
rum, infeliciū ſane, incidat, quibus
nihil doctrinæ, nihil litterarum præ-
ſidio fuit, & meliora etiam ingenia,
vt fata erant, illiberali otio, hoc eſt,
inertiæ torpore conſeneſcebant. Quo
vtique fieri neceſſe fuit, vt pauca ſint
admodum, eaque lacera nimis, & sæ-
pius interrupta, quæ de illorum tem-
porum rebus, eximia quamuis virtute
& animi magnitudine geſtis, ad no-
ſtram ætatem ſemibarbaris litteris

) (3 pro-



propagata habeamus. Fore itaque non despero, vt imperfectæ rei, & minus, quam pro dignitate sua, elaboratæ, eiusdem venia temporis indulgeatur, cuius quod inculta & squalida facies erat, & inscitiae tenebris omnia caligabant; non equidem esse puto, quod quis miretur vehementius, si, quod de illis temporibus conscribere conamur, illorum naturam & conditionem referat, hoc est, incultum, imperfectum, & sine ornatu relinquatur. Apud TE certe, GRATIOSISSIME DOMINE, paratam mihi huius rei veniam fore, eo certius quidem confido, quo maior laudatiorque TVA benignitas est, qua nec tirocinia ingeniorum aspernaris, sed foues eadem, & excitas, & ad maiores conatus beneuolentia TVA instigas. Accedit mirifica bonitatis TVAE signific-

ficatio, toties patri meo non dubiis
signis, sed maximis beneficiis perspe-
ctissimisque declarata, quæ me quo-
que sperare iubet, non contemturum
TE esse primitias meas, quas offero,
licet ingenio TVO & NOMINIS, quod
præscripsi, magnitudine indignas ef-
se, probe ipsemet intelligam. Quod
solemne TIBI, gratia vincas iudici-
um, & quo in litterarum cultores fa-
vorem semper es, in me quoque & stu-
dia mea ne dedigneris esse, qui ita a
primis annis institutus sum, ut litte-
rarum Patronos colere, & demissa
obseruantia venerari, vnicum iuuen-
tutis officium esse existimem. In qui-
bus quod TE præcipuum & eminen-
tissimum video, in quo asylum suum
bonæ litteræ constituent; pro salute
TVA votum facere nunquam desino,
ut constans sit & inconcussa TVA
in-

incolumitas, quo & MAXIMI
PRINCIPIS rebus diutissime mo-
derandis sufficias, & cum vniuersis
litterarum studiis, tum iis maxime,
quæ consiliis TVIS in Fridericiana
Academia feliciter instaurata sunt, in-
maius meliusque prouehendis, flo-
rentissimo rerum TVARVM statu,
emineas atque superstes.

ILLVSTRISSIMI NOMINIS TVI


Halæ Calend. Octobr.

CIOICXCVII.

demississimus cultor

ac cliens

CHRISTOPHORVS CELLARIVS.



COMMENTATIO
DE
COMITATV WETTINENSI.



Non ita paruo animo
mortales sunt, vt quæ multo
labore, aut periculis etiam,
gesserunt, malint obliuione,
obruui, quam æternæ mandari
memoriæ. Animus enim, si-
cut immortalis est, præsen-
tit aliquid in posterum, nec, quibus terminis vitæ
spatium circumscriptum est, iisdem finit cogitatio-
nes suas. Posteritatem respicit, & postremis quo-
que temporibus, si bene meruit, sui memoriam, in-
teresse cupit: nec vero cunctis, qui meruerunt, il-
la ex æquo felicitas obtingit. Cuius rei non tam in
posteris quærenda causa est, qui plerumque ea sunt
natura atque indole, vt præteritas res maiori ve-
neratione, quam suas, prosequantur: sed in ipsis
antiquis temporibus latet, quæ suæ ætatis præclare
gesta cum memoria auctorum, a quibus patrata
sunt, non diligentius custodiuerunt. Græcorum
res gestæ satis amplæ magnificæque fuerunt: ve-
rum

A

rum

DE COMITATV

rum aliquanto minores tamen, quam fama ferebantur, per quam Romanis in admiratione erant, quorum quamuis maiora facta fuerunt, ipsi tamen Græcis maiorem gloriam concedebant. Nam quod ingenia in Græcis illustriora, quam alibi, prouenerant, illorum industria per orbem terrarum celebrata sunt, quæcunque strenue, quamuis intra modum Romanorum, a Græcis vnquam gesta fuerant. Romanis tandem, Græcorum doctrinam & industriam imitatis, nisi maior, certe æqualis felicitas oborta est, quam non tam armis & bellicæ fortitudini, quam litterarum culturæ atque studiis debuerunt, quippe quum ipsi ingenia fouerent colerentque, fructus quoque ex litterarum studiis, industria dignos, perceperunt, vt memoria ipsorum, & rerum gestarum gloria æternitati consecrarentur. Infeliciores Germanos omnes, maiores nostros, euentus iubet existimare, qui quod litterarum cultum horruerunt, virtutis suæ vel nullam, vel subobscuram memoriam ad posteros proferebant, quum sola litterarum studia sint, quæ principibus viris æternitatem famæ dant, & fortiter eorum facta ad seram posteritatem perducunt. Quum vero nemini possit ignotum esse, quanta barbarie omnis natio Germanorum laborauerit; non est quod quisquam admiretur, in tenebris Heroum nomina, & præclaras virtutes, & fortia facta latitare. Orbem terrarum barbarorum tenebat inscitia, sed nullam partem magis, quam Germaniam, pres-

pressit, vt pote quæ nec olim cultior meliorue fuerat, quum aliæ nationes, quamuis tenuia, tamen aliqua vestigia cultus sui pristini retinerent. Non dicam de antiquitate temporum, ex quibus nihil nobis superest, quam quod Romanis, maiorum nostrorum hostibus, debemus, & grato animo debemus, etsi de fide illorum non vndiquaque certi esse possimus: medium tantummodo æuam inspiciemus, quod documento nobis est certissimo, quantum detrimenti cum suæ ætati, tum maxime posterorum notitiæ litterarum neglectu adferatur, vt fama rerum obscuratur, memoria in incerto hæreat, & vel nulla gloria, vel exigua consequatur. Illorum temporum si quis illustres Domos animo ingrediatur, proh Deum! in quantas salebras ille incidit, quam inuia cuncta, quam inexplicabilia offendit, quod qui annales istius æui condiderunt, rudes & imperiti pæne omnes fuere, vt leuia sæpe & inepta signarent, præstabiliora, & necessaria reipublicæ, prætermitterent, nihil, vt decet historicum, distinctius pleniusque explicarent. Quot illustres gentes sunt Germaniæ, tot argumenta nobis faciendæ fidei præbentur, aut longe plura etiam, quam supersunt illustres familiæ, quia non pauciores interciderunt, quarum ne nomina quidem satis perspicue intelliguntur. Inter has a multis retro sæculis præcipuum quendam locum *Wettinensis* tenuit, cuius siue origines & antiquitatem, siue gestarum rerum insignem famam; siue etiam posterorum magnitudinem respicimus;

in tam celebri numero illustrium fane paucas habemus, qui comparari cum ea; quæ anteferri possit, nescio an vllam inueniamus.

II. *Wettinense castrum* est, quod illi & toti Comitatus nomen dedit, altero ab Hala nostra miliario, in prærupto quodam colle positum, cuius radices a dextra parte amœnissimus Salæ fluuius non iniucundo murmure adluit. Huius origines qui ad Magnum WITTEKINDVM referunt, nescio an præter argumentum, ex nomine Wittekindi peti- tum, aliis documentis fidem facere queant, Namet- si ex Adelmo, Benedictino monacho, apparet, exer- citum Caroli ad Albim & Salam fluuios quædam exstruxisse castella, quia ad ann. 1000 tradidit, *duo castella ab exercitu ædificata, vnum super ri- pam fluminis Sale, alterum iuxta fluuium Albim:* quæ nonnulli de Witteberga & Wettinensi castro intelligi volunt; vix tamen inde colligi licebit, Wittekindi consiliis aut ædificata illa fuisse, aut nomen- stum adepta. Sed nec sufficit aliis conditorem il- lius castri Wittekindum designasse, verum etiam ipsius primum Præfectum & Burggrauium ad Sora- bos frænandos constitutum volunt eundem Witte- kindum. De quo Petrus Albinus *Chron. Misn. tit. v. pag. 183* videatur. Et quamuis alii annales, Geor- gio Fabricio *Orig. Sax. lib. v. pag. 511* testante, ad hu- ius filium WITTEKINDVM IUNIOREM eius ori- gines referant, non tamen apparet, quo auctore & quibus monumentis id possint adfirmare. Sola enim
Fran-

Francorum hominum scripta sunt, e quibus illorum temporum historiam, eandemque laceram nimis & tantum obiter signatam colligimus, quæ quamuis Saxonum sæpius mentionem faciant, tantum tamen abest, ut arces & castella, quæ a VVittekindo exstructa dicuntur, ex illis cognoscamus, ut ne posterorum quidem & nepotum nomina & ordinem inde intelligere possimus. Equidem non dubitamus certis signis persuasi, habuisse posteros VVittekindum, floruisse etiam, & quod facile largiri possumus, hos ipsos fuisse, qui instaurarint nec interrupto ordine ad suos nepotes transmiserint *Wettinensem Comitatum*: defuerunt tamen qui recenserent illud diligenter, qui seriem rerum & personarum traderent accurate. Adeo dolendum quædam præsumi, alia colligi, pauca sciri de gestis Maiorum in Germania. Sed fatum illorum temporum fuit, ut aut exteri scriberent de Saxonibus, aut hostes animis ac studio auersi, aut si omnino quidam eodem solo nati, monachi tamen, nec ultra Cleri modum eruditi, ut hic inscitia, ibi plerumque inuidia laudes gentis obscurauerit. Verum quum fama hucusque, vulgatiores fuerit, *Wettinenses Comites* a VVittekindo esse, ut huius nobilitate & magnitudine augustiora sint primordia Principum, qui ex illorum familia hodieque supersunt florentissimi; vitas gestaque eorum, ne quid dignitati aut iuribus stirpis VVittekindi detrahatur, recentiorum scriptorum fide nixi,

vbi veteres defunt, quantum fieri potest in tanta ob-
scuritate, ordinatim memorabimus.

III. Primus qui Comitis VVettinensis titu-
lum a Carolo M. accepisse fertur, WITTEKINDVS
fuit, filius magni VVittekindi, quem inepte *ma-
gnum Saxonie Ducem* nominare solent Ioannes Pala-
tius, Martinus Milagius, Georgius Fabricius & alii.
Repugnat enim Carolino ævo titulus, qui sequiori
tempore additus est a regionibus, quas Comites,
vnde Duces eligebantur, nomine Imperatorum ad-
ministrabant. Et quamuis Corbeiensis monachus
VVittekindum *magnum ducem* nominat; inde ta-
men Saxonie Ducem fuisse & eo nomine honora-
tum, ad fidem nullo modo pronum videtur, quo
titulo & hereditario iure Ludolphum demum nobi-
litarum fuisse, ex eiusdem monachi *lib. I. Annal. Sax.
pag. 6.7* colligimus, de quo diligentissimus scrutator
antiquitatis Conr. Sam. Schurzfleisch. *Not. ad
Michael. Bohemi Vitam Alberti III.* videatur.
Longiorem titulorum seriem Wittekindo iuniori,
qui magni Wittekindi filius adseritur fuisse,
Fabricius adsignat *lib. v. Orig. Sax. pag. 511*, pu-
tatque se ipsum *Wettinensem Comitem, Soraborum
Landvogtum, Zorbecæ Burggrafum & Dominum in Bud-
setz* appellasse, quum tamen in aprico sit, tam pro-
lixos titulos nondum tulisse illa tempora, & plerum-
que Principes ac Comites vnum, sed præcipuum,
præferre consuetos, hoc est solo vel Ducis vel Mar-
chionis, aut Comitis elogio contentos fuisse. De
huius

huius iunioris Wittekindi rebus gestis nihil memoriae proditum inuenimus, nisi quod Laurentius Pecenstein *in Genealog. Famil. Wittekind.* Imperatori contra Normannos & Sorabos militasse tradit. *Budsetiam* familiam, ex qua Ditmarus, Mersburgensis Præsul, Wettinenses Comites deducit, ab eo propagatam, G. Fabricius *Orig. Sax. lib. v.* & alii autumant. Sepultum scribunt in cœnobio Willershusiano, quarto a Brema milliario distante, quod pro certo adfirmat P. Albinus *in Chron. Misn. tit. XXII pag. 587.* Eius filium *Fridericum*, post excessum parentis Zorbecæ Burggrafium, Saxones, ob imposta iter facientibus per agros suos tributa, ann. 1000 interfecisse dicuntur: cuius necem, quum frater DITGREMVS, in Wettinensi Comitatu patris successor, ultum iret, ab Ottone, Saxoniae Duce & Henrici Aucupis parente, tanta clade adfectus fuerit, vt ad Dalemincios, Sclauicam gentem, ne in hostiles manus veniret, defugere necessum haberet: mox tamen reconciliatum Ottoni, recepta, quam amiserat, prouincia, cum illo iunctis armis aduersus Dalemincios dimicasse tradit Fabric. *cit. loc. pag. 513.* Hunc ex Bosena coniuge filios *Ditmarum* aiunt genuisse, & *Cunigundam*, Alberti II Ascaniae Comitis vxorem, & *Fridericum*, qui aduersus Normannos bello, cum Brunone & Tanquardo, Saxoniae Ducibus, aliisque proceribus multis ann. 1000 in inundatione perierit. *Ernestus Bruntruf. Chron. Mersburg. lib. I cap. XII.* Cuius filios *De-*
donem

donem & Brunonem in bellis aduersus Henetos & Sla-
uos cecidisse tradit Reufner. *in Basil. Oper. Geneal.*
Stirp. Wittekind, pag. 269. Brunonis & Tanquardi
fata etiam antiquiores scribunt, Wittekindus Cor-
beiensis *Annal. Sax. lib. I pag. 6.* Anonym. *Chron. Duc.*
Brunsuic. apud Mader. in Antiq. Brunsuic. pag. 2, de
Friderico autem isto nihil habent.

IV. At DITMARVS, militaris disciplinae
peritissimus Princeps, quantum ingenio & calliditate
valuerit, memorabili facto, quo Henricum Aucu-
pem, Gronæ ab Imperatoris Conradi exercitu ob-
sesum, non armis, sed insigni stratagemate libera-
uit, declaratum fuit. Nam quum Henricus iam in
eo esset, vt cum legatis Cæsareis de castro seque ipso
tradendo ageret, casu Ditmarus quinque tantum
comitibus stipatus adueniebat, seque ingentem ex-
ercitum adduxisse, præsentibus legatis, Henrico de-
nuntiat. Quo nouo & inopinato nuntio erectus
Saxo, quantis aduenisset copiis ex Ditmaro quærit;
qui quum xxx vexilla, aut vt Corbeiensis ait, xxx
legiones præsto esse adfirmaret, Imperatoris lega-
tos infecta re dimittit, qui timore perculsi castra tan-
to terrore implerunt, vt, antequam rei veritatem
ab exploratoribus cognoscerent, quisque sibi in fuga
salutem poneret. Wittekindus Corbeiensis mona-
chus, qui integram historiam *lib. I Annal. Sax. pag.*
8 enarrat, illum Ditmarum *ab oriente,* & Conradus
a Lichtenaw, Urspergensis Abbas, *pag. 195 ab ori-*
ent alium Saxonum parte fuisse tradunt, qui num idem
qui

WETTINENSI.

9

qui noster, hoc est Wettinensis quidam Comes fuerit, vt G. Fabricius, Reusnerus & alii contendunt, non adeo in aprico est, nec satis ad fidem pronum. Magnam autem, post id astutum factum, Ditmari auctoritatem fuisse ferunt, postquam Henricus a morte Conradi ad imperium peruenit, qui illius opera ac fide sæpissime usus est, maxime in bello contra Redarios, vbi collega legato Duci, Bernhardo Marchioni, ab Imperatore datus, ex prælio, quod ad urbem Lunkini commissum, insignem reportauit victoriam. Wittekind. *loc. cit. pag. 12.* Fabricius *lib. v Orig. Saxon. pag. 513.*

V. Huius filius THIEDERICVS erat, quem Ditmarus Mersburgensis Episcopus, quo nunc satis certo auctore stamus, *ex tribu Buzici* genus habuisse tradit *lib. vi Chron. Mersburg. pag. 151.* Qui a Wittekindo Wettinenses Comites deducunt, hanc Budsetiam familiam, a quodam ditionis suæ oppido, quod ex materna hereditate ad posteros transmiserit iunior Wittekindus, nescio quo auctore, ita dictam volunt. Reinerus Reineccius *ad Chron. Ditmar. de Marchion. Misn. G. Fabric. Orig. Saxon. lib. v pag. 511.* Etsi vero satis lubricum & incertum eorum argumentum est, non negabimus tamen, illam forte ad Wittekindi genus pertinuisse; quamuis si maxime cum aliis ponamus, quod & verius videtur, Budsetiam familiam a prædicta illa stirpe diuersam fuisse, ne sic tamen fictis imaginibus, sed meritis suis maxime celebrata manet

B

Wet-



VVettinensis familia, nec iuri, quod ad eam respectu Marchiæ Misnensis innexarumque prouinciarum pertinet, quidquam derogatur. Huius autem Thiederici posteritas iusta serie VVettinensem Comitatum possedit, vsque ad Ottonis excessum, vltimi Comitis de Bren, qui ann. CIOCCCLXXXVIII eum Magdeburgensi Archiepiscopatu concessit, cuius diploma inferius producemus. Multa de eius rebus gestis Laur. Peccenstein *in Geneal. Stirp. Wittekind. pag. 4* refert, quod tantam sibi famam ex Mersburgensi prælio aduersus Hungaros adquisierit, vt Imperator Henricus Misnensis Marchiæ primum Marchionem constitueret, cuius tamen fides omnis penes auctorem est, cui solemne est, rem simpliciter denarrare, sed quo documento antiquitatis nitatur, silentio præterire. Variæ alioquin sententiæ sunt de primo Misnensium Marchione, quæ quod singulæ antiquis testimoniis destituuntur, illi quæ de Thiederico, neque anteferre vllam, neque posthabere possumus. Est vero quod prætermittendum non videtur, his temporibus contigisse Ottonis I Imperatoris donationem, qua Magdeburgensi Ecclesiæ decimas ciuitatis VVettini aliorumque locorum attribuit, cuius diploma integrum exhibet Benjamin Leuberus *in Disquisit. planar. Stapul. Saxon. n. 1599*, & ex eo Casp. Saggittarius *Dissert. de Archiepiscop. Magdeburg. § 74*. Quod omnino grande documentum est, Ottonis Magni temporibus Comitatum hunc Comitibus, ex qua

quacunq; etiam familia fuerint, pleno ac proprio iure nondum possedisse, quippe qui vix permisissent Imperatori, vt tam insignes redditus pro lubitu in alium transferret.

VI. Huius filii ex Iutta Mersburgensi DEDO & Fridericus erant. *Chronicon Lautenberg. principio.* DEDO a prima pueritia in Rigdagi Misniæ Marchionis & agnati aula educatus, ab ephebis statim eximius animi corporisq; dotibus enituit. Et quum vni- ce in castris gloriæ materiam quærendam iudicaret, Boleslao, Bohemorum Duci, operam addixit suam, cui tanto feruore, tantaque fide militauit, vt dum Bohemi Cizensem & Mersburgensem agrum populantes inirent, inter prædam & ipsam matrem abduci pateretur. *Ditmar. Chron. Mersburg. lib. VI pag. 152.* Ob quam causam, quum Imperatoris Ottonis III iram in se concitatam videret, decedens a Bohemis, omnia tentauit, vt ei se amicum redderet, quod ei ob summas ingenii dotes haud difficile fuit, & breui tempore tantam gratiam sibi conciliauit, vt non solum inter præcipuos Cæsaris Duces haberetur, sed & ipse Cæsar, postquam eius maternus auus, Mersburgensis Comes, B10 absque masculino herede decesserat, Mersburgensis Comitatus partem, & Zorbecensem Burggrauiatum hereditario iure ipsi & fratri Friderico concederet. *Ditmar. cit. loc.* Ex tanto autem rerum successu elatior factus Dedo, æquales & potentiores artibus vt supprimeret, nihil inexpertum reliquit, & quum



omnia irrita videret, in Principes non solum, sed etiam in ipsum Cæsarem Henricum II, qui Ottonem in imperio exceperat, odium concitatissimum concepit. Quod tamen tunc temporis tam scite dissimulabat, vt nunquam suspectus Regi, ipse ceteros Principes ei adeo suspectos redderet, vt Berengarius Marchio huius sententia omnibus prouinciis iam priuandus, vix Burchardi Palatini Comitis precibus seruatus sit. Quod tam indignè tulit Dedo, vt bello ea perficienda proponeret, quæ arte non potuerat. Hinc quum prædicti Marchionis oppidum VVolmerstadium ad Albim igni subiecisset, & ad depopulandas reliquas eius prouincias ad Tangermundam vsque excurreret, in reditu obuiam Berengarium habuit, vbi suis profugientibus cum Egilhardo, qui solus apud eum manserat, fortissime dimicans, mortem oppetiit. Ditmar. *cit. loc. pag. 151.* Frater eius *Fridericus* Ileburgi Comes, ab Henrico II Imperatore, capto Gunzelino, Marchiam Misnensem ad tempus gubernandam accipit, quod multos magni nominis historicos in errorem abduxit, vt credant, eum ab Imperatore primum Misnæ Burggrauium constitutum. Nam ex Ditmar. *lib. VI Chron. Mersb. pag. 153* apparet, dedisse Imperatorem hoc precibus Augustæ, vt breui post restitueret Hermannò Misniam, vnde eiectus erat a patruo Gunzelino post mortem parentis Eccardi I. Fridericus autem diuina quasi mente consilioque præditus ad grandem admodum ætatem

tem

tem venit, & quum liberis maribus careret, Hebur-
gensem Comitatum cum pago Sufelitz hoc pacto
fratris Dedonis vnico filio legauit, ne filias, quarum
tres reliquit, in prædiorum possessione, quæ ipsis
adsignauerat, turbaret, de quo *Ditmar. cit. loc. lib.*
VII pag. 214. Auct. Append. Chron. Lauterb. pag.
202.

VII. Hic THIEDERICVS II erat, Princeps
imaginibus non minus, quam militari virtute ac
prudencia inclutus. Eius opera Imperator sæ-
pius vsus, maxime in bello Bohemico, quod cum
Boleslao Duce & Misicone eius filio gessit. Et
quum tandem Boleslaus reconciliaretur Impera-
tori, hic Thiedericus pacificationi, quæ Budissi-
næ in Lusatia agebatur, Cæsaris nomine adstitit.
Ditmar. lib. VIII dict. Chron. pr. Landsbergensem
Comitatum ab Henrico Augustæ Cunigundæ pre-
cibus impetrasse auctor est G. Fabricius lib. v Orig.
Sax. pag. 519. Liberi quos ex Mechtildi, Eccardi I Mi-
snæ Marchionis filia, progenuit, Fridericus, Dedo, Thie-
mo, Gero, Conradus & Rigdagus fuere, de quibus singu-
lis nunc ordine dicemus. Fridericus vitam religiosam
eligens, Magdeburgensis Archiepiscopatus Antistes
electus est, postquam per aliquot annos maioris
ibidem Ecclesiæ Præpositus fuerat. Auct. Append.
Chron. Lauterb. pag. 202. Eius tamen electioni omni
modo restitit Henricus IV Imperator, cui suspe-
ctus erat Fridericus, quod ex Saxonibus esset, qui-
bus semper infensissimus hostis fuerat. Hinc ve-

ritus, ne primæ nobilitatis & ingenii acutissimi vir,
nimis potens fieret, electione posthabita, Monaste-
riensem Episcopatum ei detulit, quo pacto ereptus
calamitatibus, quibus premebatur patria, ad tran-
quillam senectutem peruenit, quum eius successor
in Magdeburgensi Episcopatu V Vernerus, Comes de
Sonneberg, quem alii V Vesselium nominant, in
proelio aduersus Henricum Imperatorem, XIV
Præfulatus anno, miserrime occubuit. Marian.
Scotus *Chron. lib. III ann. 1078.* Albert. Cranzius *lib.*
V Metrapol. cap. VII. seq.

VIII. Alter filius *Dedo*, extincto Ottone, Lu-
satiæ Marchione, Lusatia Marchiam cum Misnensi
iunxit. In matrimonium Oddam accepit Ottonis
Thuringici, Marchionis Orlamundani, matrem; sed
hac breui post defuncta, vna cum filio Ottone, hu-
ius viduam Adelam, Henrici & Reuberi, Louanien-
sium Comitum sororem, duxit. *Append. Chron. Lau-*
terb. pag. 202. seq. Huius instinctu, quum priuigni
Marchiam & reliquas eiusdem possessiones ab Im-
peratore Henrico IV postularet, illasque sibi dene-
gatas videret, infaustis sideribus belli aleam vna,
cum fociis Thuringis subiit. Quo factum, vt Schei-
dinga & Beuchlinga, Thuringiæ castellis, a Cæsareo
milite expugnatis, omnibus prouinciis cedere, &
fuga sibi consulere cogeretur; & quum breui post
reconciliandæ gratiæ causa se Imperatori permit-
teret, in custodiam datus, tandem, adempta non
modica possessionum redituumque parte, dimissus
ægre

ægre Misnensem Marchiam retineret. Lambert. Schaffnab. pag. 177. Bertholdus monachus, qui Hermanni Contracti Chronicon continuauit, ann. 1069. Conrad. Urspergens. ad ann. 1070. pag. 220. Et quum tandem longa animi ægritudine absumtus ex vita discederet, eius Misnensem Marchiam, quam ex omnibus prouinciis solam relictam habebat, Henricus Imperator Vratislao Bohemiæ Duci in præmium exactæ militiæ dedit, tametsi vxor Marchionis Adela filium suum, cui hereditaria successione Misnia debebatur, paulo ante Cæsari pro se obfidem misisset, & ipse Marchio, post recuperatam pacem, intemeratam semper erga eum remque publicam fidem seruasset. Lamb. Schaffn. cit. loc. pag. 225. Paullus Langius Chron. Citiz. pag. 778.

IX. Filium ex priori matrimonio suscepit *Dedonem*, eximia indole iuuenem, & laude digna, si eam contulisset ad pietatis & iustitiæ studium. Vix autem hostis acrior & vehementior ullus in quemquam fuit, quam iste adolescens in eum, a quo vitæ & lucis originem acceperat. Ambitionis enim & dominationis æstu quasi abreptus in bello Thuringico, quod pater infelicissime mouerat, partes aduersarios adiuuit, sociusque Imperatori, insidias patri indigne tetendit. Sed tandem Dei iudicio, nocturno tempore, ab occulto infidiatore, consilio, vt suspicio erat, Adelaë nouercæ, confossus, vitam, quam gloriosissime degere potuerat, immatura morte finiuit. Lamb. Schaffnab. c. l. pag. 177.
Conr.

Conr. Ursperg. *ad ann. 1070. pag. 220.* Altera coniux
 Adela Henricum ei peperit, Iteburgensem Comi-
 tem, quem Henrico IV Imperatori obsidem datum
 fuisse, prædiximus. Hic in custodiam Eberhardo,
 castri cuiusdam præfecto Cæsareo traditus, vna
 cum Vtonis Stadenfis Marchionis filio, qui & ipse
 obses in eodem castro erat, felicissime euasit. Nam
 quum prædictus Eberhardus cum iis venatum
 exiisset, & ad insectandam feram, quæ casu occur-
 rebat, inconditis clamoribus, feruentissimisque
 studiis discurrerent, qui custodiebant; hi pueri, vbi
 se solos esse animaduertunt, quantis possunt viri-
 bus, equis subdunt calcaria, per condensa siluarum,
 per abrupta montium, per concaua vallium, peri-
 culi sui vel negligentes vel contemtores, dicto ci-
 tius euolant, & laxatis temere habenis, quocunque
 impetus equos ferebat, præcipites ruunt. Tan-
 dem transmissa nemore ad Mœnum fluuium per-
 veniunt, vbi a piscatore, capturis piscium incum-
 bente, se Moguntiam euehi petunt, chlamydes suas
 in euectionis pretium offerentes. Ille vel pretio il-
 lectus, vel commiseratione permotus, ambo beni-
 gne in nauiculam suscepit, eosque Moguntiam, vt
 rogauerant, peruexit, vbi ab Episcopo liberalius
 excepti, ad suos inde securi redierunt. Lamb.
 Schaffn. *cit. loc. pag. 242.* Antequam vero domum
 Henricus reuerterat, Misnensem Marchiam, quam
 ipsi, mortuo parente, Imperator ademerat, Eber-
 tus II, Saxoniae Marchio, puer adhuc & longe infra
 mili-

militares annos, adiunctis sibi Saxonibus, Bohemis eripuit, a quibus tamen ille per Vipertum Groizensem, qui Vratislai, Bohemi, gener erat, brevi post rursus eiectus, tandem Henrici filius, Henricus Iunior, per Lotharium, Saxonum Ducem & postmodum Imperatorem, qui Wettinensis Comitis Conradi, huius patruelis, causam armis defendendam suscepit, recuperavit. Cosma Pragensis *Chron. Bohem. lib. III. pag. 68.* Post mortem Henrici illa Marchia ad Conradum pervenit, in cuius posteritate deinceps permansit. Auct. *Chron. Lauterberg. ann. 1127.* Confundit hos Henricos Fabricius *Annal. Urb. Misn. ann. 1123*, dum iuniorem Henricum, Henrici senioris nepotem & Dedonis filium fuisse credit, qui Henrici senioris filius & Dedonis nepos erat.

X. Sed properandum nobis ad reliquos Thiederici liberos, cuius tertius filius *Thiemo* erat, Wettinensium Comitum propagator, de cuius rebus gestis posterisque inferius. Quartus *Gero* cognomine, in diuturno illo belli Saxonici tumultu cum liberis in obscurum locum trans Albim secessit. Filii tamen eius *Thiedericus*, Brenensis Comes, & *Wilhelmus* Cambergensis, ex Bertha Groizenfi nati, quum patriæ mala indies augeri viderent, proditam illius libertatem, totamque Saxonum gentem, quod semper intenderat Imperator, in servitutem, atque sub iugum redactam esse, quamvis patriis finibus extorres & omnibus

C

mnibus

mnibus munitionibus destituti; ex sui tamen simi-
 lium numero & paganis milites quosdam collige-
 re incipiebant. Et quum vrgeret penuria, raptu
 sibi victum quærere, regiisque exactoribus paul-
 latim resistere tentabant. Quæ quum eis semel,
 iterum, prospere cessissent, prouinciales ex Saxo-
 niæ Thuringiæque partibus, extrema omnia,
 quam fidem Imperatoris experiri præoptantes, ad
 illos confluxerunt. Quo factum, vt intra paucos
 dies, tantum numerum fortissimorum militum
 haberent, vt iam non ad infidias & clandestinas,
 latrocinantium more, excursions, sed ad apertam
 vim & prælia ineunda se pares hostibus arbitra-
 rentur. Quibus quum Imperator cum exercitu
 occurrisset, dubitauit se tantæ hominum multi-
 tudini, quam vltima desperatio inflammauerat,
 parem futurum esse. Quum enim Mulda fluuius,
 qui vtrumque exercitum dirimebat, effusis imbri-
 bus ripas supergressus esset, omnemque transme-
 andi facultatem ademisset, non expectata decre-
 scentium aquarum vicissitudine, cum toto exerci-
 tu in Bohemiam se recepit, maturatoque per Bo-
 iariam reditu, mœstus ac pœnitens, quod tantos
 labores in vanum expendisset, Wormatiam ad
 Rhenum se contulit. Lamb. Schaffnab. *c. l. pag. 241.*
 Thiedericus tamen postmodum, quum Rudol-
 phus, Sueuorum Dux, Saxonicas partes sequere-
 tur, paucos dies ante prælium, quod in Thurin-
 gia Fladehemi anno **CIDLXXIX** cum Henrico
 com-

committebant, ad Imperatorem transiit. G. Fabric.
ex Annal. Antist. Magdeb. lib. V. Orig. Sax. pag. 530. In
 cuius fide persistens, mortem tandem in agro
 Coloniensi oppetiit, quum Henricus Imperator,
 in oppugnatione Coloniae Agrippinae occupatus
 esset anno C I D C V I. Conrad. Ursperg. pag. 249.
 Praeter Wilhelmum, fratrem Guntherum habuit,
 Citizensem Episcopum, qui etsi in funestissima
 tempora inciderat, Ecclesiae tamen suae per no-
 vem annos singulari laude praefuit. *Append. Chron.*
Lauterb. pag. 203. Paull. Langius Chron. Citiz. pag. 778.
 Ab auctore Apologiae pro Henrico IV. inter illos
 refertur Episcopos, qui aut fugiendo Episcopatus su-
 os dimiserint, aut eos per bella maxima sibi vindicando
 usurpauerint, ne communicarent eis, qui communicant
 Catholico Imperatori vel sedi Apostolica. Extat apud
 Marquard. Freher. Tom. I. Scriptor. Hist. Germ. ubi vi-
 de pag. 198. Quintus & sextus filiorum Thiederici
 Conradus & Rigdagus optimo aetatis flore sine liberis
 decesserunt.

XI. Nunc ad THIEMONEM regredimur, Wetti-
 nensem Comitem, qui in aula Henrici IV educatus,
 eius filio Henrico V in bello Saxonico militavit, eo-
 que meruit, vt Misniae Marchio constitueretur,
 quamuis illam viuis non obtineret, quod iam Vi-
 pertus Groizensis cum Bohemis eam occupauerat:
 filius tamen Conradus, post mortem Henrici iu-
 nioris, Lotharii Saxonis ope, illa tandem potitus
 est. Peucer. lib. IV. Chron. sub Carionis nomine edit.



pag. 653. L. Peccenstein *Famil. Wittekind.* Sed miror ex vetustioribus vix quemquam huius Thie-
monis mentionem iniecisse, vnicum si exceperis
Auctorem Lauterbergensis Chronici, qui *p. 2 & 39*
eum DEDONEM & CONRADVM ex Ida coniuge
progenuisse tradit, quos sibi in Comitatu succes-
sores habuit. Et hic ille *Dedo* est, qui prima cæ-
nobii illius, quod in *Monte sereno* est. B. Petro sacra-
tum, consentiente summo Pontifice, Calixto II,
anno CIO CXXIV fundamenta iecit. Vix tamen
inchoauerat opus, quum ad persoluendum votum,
quod, vxore repudiata eademque Episcoporum,
hortatu recepta, fecerat, in terram sanctam profi-
sceretur. Ex qua regressus, quum subito vitam
cum morte commutaret, fratri Conrado, qui in-
terea monasterii curam gesserat, omnem heredi-
tatem reliquit.

XII. Ex quo igitur tempore Conradus Co-
mitatum suscepit, nihil magis curæ habuit, quam
vt prædictum cænobium perficeretur, cuius ve-
tustas & nobilitas meretur, vt paullo verbosiores si-
mus in eius descriptione. Collis, in quo exstru-
ctum est, non, vt plerique, modicis ac mollibus cli-
vis in sublime fastigium crescit, sed in metæ quasi
modum erectus est, cuius ima spatiosiora sunt, al-
tiora in rectius coeunt, & fere in acutum cacu-
men exsurgunt. Radices vndiquaque ingens pla-
nities excipit, fertilissimis agris, villis, ciuita-
tibus, nemoribus etiam fluuiis hinc inde di-
stin-

stineta. In cacumine monasterium iam collapsum conspicitur, ex quadrato lapide ingentis magnitudinis olim splendidissime constructum, ita ut omnino miranda sit conditoris pietas, qui tanto sumtu, tantoque labore contra loci naturam tam arduas ædificationes molitus est. Templum in eo duplex fuit, maius & minus, illud S. Petro, hoc S. Annæ dedicatum, vtrumque tamen collapsum hodie. Monachi Canonici regulares erant, S. Augustini regulis ac ordini adstricti, ut litteræ Conradi ad Honorium II Pontificem testantur, quibus hanc Lauterbergensem Ecclesiam in ius & proprietatem Romanæ Ecclesiæ sub annua pensione vnus aurei recipi petit, quas ex Chronico eiusdem monasterii adscribemus integras.

Domino beatissimo meritoque venerabili, & in Christo honorando, Papæ Honorio, Conradus Marchio Misnensis, una cum uxore sua Lucarda & filiis, debitam in Christo subiectionem. Quia Deus omnipotens, in cuius conspectu ab initio cuncta postfutura sunt presentia, vos totius Ecclesiæ caput constituit, iustum est vestra auctoritate confirmari, quicquid aliquis de sua possessione in ius Ecclesiasticum obtulerit. Nos ergo vestram obsecramus paternitatem, quatenus nostram licet paruulam oblationem stabilire non dedignemini, nec hæc aliqua usurpationis temeritate ad nos delata suspicemini. Obtulimus B. Petro, principi Apostolorum, pro remedio animæ nostræ & parentum nostrorum, ex pradio nostro hereditario locum qui dicitur Mons Sere-

nus, cum capella Lobechune, ad quam pertinent XVI
 mansi, & cum capella in Ostraw, ad quam pertinent IV
 mansi, & insuper de pradio nostro CXX mansos hac de-
 terminatione, ut Canonici sub regula B. Augustini ibi-
 dem Deo libere seruietes, singulis annis unum Byzan-
 tium auri, vel fertonem argenti B. Petro in Roma per-
 soluant, & post presentem Praepositum in clauastro suo, vel
 ubicunque potiori parti placuerit, alium eligant. chris-
 ma tamen, oleum sanctum, consecrationes altarium
 vel basilicarum, ordinationes Canoniorum, qui fuerint
 ad sacros ordines promouendi, ab Archiepiscopo Magde-
 burgenfi, in cuius sunt dioecesi, recipiant: si quidem
 gratiam atque communionem Apostolicae sedis habuerit,
 & si ea gratis, ac sine prauitate voluerit exhibere. Alio-
 qui liceat eis Catholicum, quem maluerint, adire Anti-
 stitem, & ab eo consecrationem & sacramenta suscipe-
 re, qui Apostolicae sedis fultus auctoritate, qua postu-
 lantur, indulgeat. Me vero, dum vixero, & post me
 seniore de filiis meis, vel quemlibet heredem meum
 seniore, Aduocatum habeant, cui nihil, nisi ad proprium
 velle, secularis seruitii debeant. Praedictum etiam mon-
 tem, nulli unquam bellicosus propugnaculis munire au-
 deant. Haec omnia sigillo vestro, ut rogauimus, in po-
 sterum confirmate, & nobis, licet indignis, exoptabilem
 vestram benedictionem remandate.

XIII. Priuilegia hoc monasterium varia
 habuit, quorum maximum erat, quod sub Pontifice
 fuit nullo Episcopo mediante, id quod ex Hono-
 ri II, Pontificis maximi, epistola ad Archiepiscopos
 &

& suffraganeos luculenter demonstratur, quam refert Auct. *Chron. Lauterberg. pag. 165.* In iis tamen, quæ Ordinis Episcopalis sunt, Magdeburgensi Archiepiscopatu subiectum erat, quum chrisma, consecrationes sacerdotum, altarium, & quæ alias ad Ordinis potestatem referre solent Canonistæ, ab Archiepiscopo, tanquam diocesano Præsule, si gratis ea, & sine prauitate exhibere vellet, petere deberet Præpositus. Quod ius semper magni factum ab Archiepiscopis, ita, vt Magdeburgense Capitulum moneret aliquando Albertum Præsulem, quum ille missos a Præposito monachos consecrare cunctaretur, *ne isti secundum suum priuilegium libertatem haberent a quocunque vellet Episcopo ordinari, quo facto tantum iuris ei in illa Ecclesia deperiret.* Auct. *Chron. Lauterb. pag. 91.* Et eapropter Præpositus Pontificalium vsu abstinere debebat, quamuis sæpe eum a Pontifice expetierat. *Ibidem pag. 140.* Sunt autem insignia Pontificalia *Mitra, Chirotheca, Baculus, Dalmatica & Sandalia,* de quibus August. Barbofa *de Offic. & Potestat. Episcop. part. II. alleg. VI n. 8* videatur. Habuerunt insuper etiam Archiepiscopi ius beneficia conferendi, si intra legitimum tempus Præpositus talibus personis ea non contulisset, quæ dignæ tanto negotio videbantur. Vnde, quum Ioannes Præpositus, vnum ex fratribus sui monasterii, Niendorpensi Ecclesiæ, quæ subiecta Lauterbergensi monasterio erat, præfecisset, Magdeburgensis Archiepiscopus alium constituit, *dicens,*
dona-

donationem eius ad se deuenisse, quia Præpositus eam, infra legitimum terminum, persona tali, quali oportuerat, non locasset, quoniam curam parochialem habere claustralibus non liceret. Cui factò quum Præpositus se opponeret, etiam nouiter constitutum parochum, forte ei obuiam factum, equo deiecisset, ab Archiepiscopo, quod violenter in Clericum manus iniecisset, excommunicatus est. *Chron. Lautenberg. pag. 83. seq.* Petrus Albinus *Chron. Misn. tit. XXII pag. 582*, Magdeburgensi Archiepiscopatu hoc monasterium a Conrado fundatore subiectum fuisse (dem Stiffte Magdeburg unterworfen) memorauit, quod idem adfirmant Werner. *Chron. Magdeb. sub Conrado Archiepisc. & Dresser. Histor. Saxon. pag. 224.* Sed hæc obiter notasse sufficiat. Idem monasterium ex eo tempore, quo conditum fuit, omnibus posthac Comitibus Wettinensibus, nec non aliis quibusdam ex hac familia ad Henricum vsque iuniorem, qui anno **CIDCCXVII** decessit, sepulcra præbuit, quorum monumenta, nitidissime exstructa, cum tota ædificiorum structura, superiori sæculo dirum fulmen posteritati eripuit, cuius rei memoriam versus in dextro sanctuarii latere lapidi incisi seruant:

Dum sacer Augustus Gothanam destruit arcem,

Sacra hæc destructa est fulminis igne domus.

Petra suum Petrum defendit vindice dextra,

In mediis flammis sic tege Christe tuos.

Non cessauit tamen Saxonæ Elector Augustus,
Maio-

Maiorum monumenta aliquatenus restaurare, cenotaphio exstructo, in quo vnuscuiusque ibi sepul-
ti simulacrum ex lapide cum insignibus & inscri-
ptione cernitur, quod hodieque ibidem maxime
conspicuum apparet. Et in hoc statu monasterium
vsque ad reformationis tempora fuit, vbi Ioannes
Fridericus, Sax. Elector, anno **MDLXXL** primus mo-
nachis finem attulit, & Pastore ibidem constituto,
Augustino Bernreits, qui per xxx annos mona-
chus in eo fuerat, reditus fisco vindicauit, cuius Suc-
cessores ad præsens vsque tempus ita retinuerunt.

XIV. Sed vt redeamus ad Conradum no-
strum, vix ille fraternas regiones capefferat, quum
magnæ discordiæ, quæ ei exitiales pæne fuissent,
inter ipsum & consanguineum Misnensem Mar-
chionem Henricum orientur. Copiosus est Au-
ctor dicti *Chronici Lauterbergensis*, siue, vt ipse præ-
scripsit, *Montis Sereni pag. 3.* Hic, inquam, copiosus
est in illis enarrandis, quarum summam nostris
verbis repetemus. Decefferat Henricus senior,
Misniæ Marchio & Ileburgi Comes, relicta vxore
prægnante Gertruda, quæ Conrado, qui alioquin
illius ex asse heres fuisset, spem succedendi adi-
mebat; de qua quum diu rumor fuisset, artificio-
se grauidam mentiri, tandem vere enixam par-
tum esse non dubitabatur, sed addidit nouus ru-
mor, peperisse femellam, eamque cum filio cuius-
dam pauperulæ, quæ maritum coquum habebat,
ad fallendum Conradum commutasse. Hinc
quum aliquando inter narrandum, quidam illum

D

Con-

Conradi cognatum diceret, hic indignatus respondit: *eum qui filius coqui esset, cognatum suum non esse.* Non diu hoc Henrico Marchioni latuit, qui eo commotus, armis illatam iniuriam vindicare decernit, moxque oppresso & capto Conrado, in castrum Kirchberg captiuum deducit, vbi multa mala perpeffus, ad mortem vsque Henrici detentus fuit. Cuius obitum, quum ex familiae luctu intellexisset Conradus, magnis promissionibus custodes eotandem pellexit, se vt dimitterent, qui ad Lotharium Regem profectus, non tantum Misnensem Marchiam primus ex Wettinensibus; verum etiam Lusicensem, quæ vulgo Orientalis dicebatur, post mortem Henrici, Viperti Groizensis filii, obtinuit. Tandem etiam Rochlicensem Comitatum, a Conrado II, Lotharii successore, impetrauit, quo potentior ceteris Principibus factus, omnem regionem a Sala fluuio ad Nissam vsque, qui Gœrlicum, superioris Lusatiae urbem, adluit, sibi subiectam possedit, vt Georgius Fabricius canit, *de Misn. Marchion. in Conrado,*

A Nissa lentam diues ad vsque Salam.

XV. Inter eius res gestas primum Hierosolymitana expeditio referenda, quam pietatis fervore, statim, vt carcere liberatus fuit, suscepit. Persuaserant enim eo tempore Pontifices Principibus, nihil magis munere suo dignum, nec Deo quidquam gratius se facere posse, quam si barbaris sacra loca & Hierosolymam eriperent. Bellum *sacrum* dicebatur, milites, *cruciati*, quos non ære, sed voce con-

du;

duxerant Præsules, sacrumque Martem non cantu, non sonitu, aut tubarum clangore, sed piis adhortationibus accendebant. Quæ superstitione semel iterumque Conradum permouit, vt eidem militiae nomen daret, & duabus expeditionibus ostenderet, quantum religioni faueret, & quanta pietate ardesceret. Ex vtraque, redux incolumis noua expeditione aduersus Obotritos & Luticios multis se Præsulibus atque Principibus coniunxit. Suasor itidem huius belli Pontifex erat, causa religio, sed verior forsitan potentatus ampliatio, vt fortissimis quibusque interfectis, Principes sibi Papa obnoxios magis magisque redderet. Iustitiam causæ exitus probauit, qui satis funestus ac tristis erat, quum multis cladibus acceptis, infecta re reuerti cogentur. Ipsam expeditionem descripserunt Hel-
mold. lib. I Chron. Slav. cap. LXIII, Auctor Chron. Lauterberg. ann. CIOCXLVII & Albert. Crantz. lib. VI Saxon. cap. XII. Sic varie iactatus noster, tandem, quum per multos annos satis gloriosus fuisset, deserre terrena, vitæque spatium, quod reliquum habebat, sacris meditationibus exigere constituit, armisque & equestribus insignibus, quibus vsus erat, in templo Misnensi suspensis, ipse in Montem Serenum, tum S. Petro dicatum, profectus, vestem sacram induit. Monasteria enim tum temporis in tanto pretio & honore erant, vt qui inirent illa, iam viuentes sese beatos & in cælum quasi transuectos esse crederent. Quæ res multis ex Principibus

pibus & Equestri ordine persuasit, vt deserta statione sua, relictis coniugibus, liberis, sibi que subiectis populis, in ea sese abderent, & inter monachos, quæ restabat, vitam complerent. Antequam vero Conradus penitus excederet mundum, ne secessione sua filius litem de diuidunda hereditate relinqueret, vnicuique suam regendam partem adsignauit, & *Ottoni* Misnensem Marchiam, *Theoderico* Orientalem seu Lusicensem, *Henrico* Wettinensem Comitatum, *Dedoni* Rochlicensem, & *Friederico* Brenensem tradidit. Quo facto a sororis Mechtildis filio Wichmanno, Archiepiscopo Magdeburgico, sacris vestibus inuestitus, in suo monasterio, breuissimum tempus superuixit, post secundum mensem & quintum diem, ereptus mortalitati anno CIOCLVI, ætatis suæ LIX. *Chron. Lauterb. pag. 28*, & eius *Append. Meibom. pag. 205*. *Chron. Pegau. pag. 261*.

XVI. Maximus natus filius Conradi Otto fuit, quem diuitiæ, quas ex fodinis argenteis, nuper Freibergæ, vt dicitur, ab auriga detectis, habebat, in multas calamitates traxere. Non enim contentus istis prouinciis, quas ex paterna hereditate acceperat, Thuringiam adfectans, varias arces ingenti sibi pecunia comparabat. Quod quum ei aliquoties Ludouicus III, Thuringiæ Landgravius, inhibuisset, nec ab incepto desisteret Marchio, res tandem ad graue bellum deuenit. Vbi quum vtriusque sæpius excursiones fierent, Ludouicus
immis-

immisso equite Misniam depopulabatur, cui quum
 occurreret Marchio, manibus confertis, in victo-
 ris Landgrauui potestatem venit, qui eum in arce
 Wartberga, quæ Isenaco imminet, captiuum te-
 nuit, nec prius, quam anno CIOCLXXXIII, Fride-
 rico Imperatore hortante, receptis castellis, dimi-
 sit. *Chron. Thuring. ann. 1182. G. Fabricius de Mar-*
chion. Misn. in Ottone. Ex hoc tempore per aliquot
 annos quiete viuens Otto, infelix tandem filii Al-
 berti tumultu fuit, cuius mentionem fecit Auctor
Chron. Pegav. ann. 1189, causam vero latius exponit
 conditor *Lauterb. Chronici ann. 1188.* Destinauerat
 enim Otto filium maiorem natu *Albertum* regimi-
 ni, & potiozem regionis suæ partem testamento
 ei legauerat, alteri *Thiederico* certis redivibus con-
 stitutus, cum titulo Comitis Weissenfelsensis. Sed
 mater propensiore in Thiedericum animo, per-
 suasit marito, vt mutaret voluntatem: qui obse-
 quutus coniugi, dignitatem in minorem transtu-
 lit. Quam rem, quum Alberto Bernhardus Bran-
 denburgicus, auunculus, enuntiaret, eumque, ne
 quid eripi sibi pateretur, incenderet; adolescens,
 occasione data patrem interceptum, in custodi-
 am in castrum Dewinde mittit, & prioris testamenti
 confirmationem a captiuo postulat. Quod quum
 ad Imperatorem adlatum esset, indignatus Alberto
 mandat, vt primo quoque tempore libertatem pa-
 tri restituat, Ottonem vero hortatur, ut dolore dis-
 simulato, redeat cum filio in gratiam. Quo pacto



liberatus, mox vt castiget filium, arma sumit, societate fretus Ducis Bohemiæ Ottonis, qui Morauico milite Misniæ partem, quam Albertus sibi vindicauerat, igne ac ferro deuastauit. Tandem Wurtzburgi reconciliatur filius parenti, qui breui post non senio, sed curis & ægritudine animi confectus decessit. Mortuo parente, Albertus fratrem ex possessionibus, priori testamento obuentis, eiecit, qui ab Hermanno, Thuringiæ Landgrauio, auxilium petens, non prius impetrauit, quam gener eius fieret, a quo auxilium sperabat. Adiutus a focero, acriter cum fratre congressus, post varium Martem in Palæstinam concessit, ibique ad mortem usque fratris est moratus. Quo nuntio accepto, quum regressum pararet, Henricus VI Imperator, ipse fodinarum illectus, insidias in terra sancta struxit, quas vt euaderet Thiedericus, lagenæ se inclusum deportari in nauim curauit, atque ita incolumis in patriam reuertit. *Chron. Lauterberg. pag. 63. & 65. Paull. Lang. Chron. Citiz. pag. 799.* Misnensem vero Marchiam, quam statim post mortem Alberti, Imperator occupauerat, foceri, Thuringiæ Landgrauii, auxilio, anno *CIOCCXCVIII* recuperauit. *Chron. Pegau. pag. 267.* Ab hoc Thiederico continuata serie descendunt Marchiones Misniæ, qui postea maiorem dignitatem Ducum & Electoris Saxonie consequuti sunt, quorum Genealogia est apud Chytræum *Saxon. lib. II pag. 53. seq.* Vbbonem Emmium in *Genealog. Saxon. Princip. Sagittar. dissert. de Eccar-*

Eccardo I sect. 18. §. 12. Celeberrim. Spener. Syllog. Geneal. Histor. pag. 413.

XVII. *Thiedericus*, alter *Conradi* filius & *Lusatiae* Marchio, *Friderico Barbarossæ* admodum carus fuit, etiam comes eius, quum in Italia bellaret, & *Venetis* cum *Alexandro III Pontifice* de pace ageret. Pacificationis historiam, qui vulgato more referunt, & *Alexandrum* calcata Imperatoris ceruice illud epimetrum vsurpasse tradunt: *Super aspidem & basiliscum ambulabis &c*, Imperatorem a *Wichmanno*, *Magdeburgensi* Archiepiscopo, persuasum volunt, vt ad Pontificis pedes se abiiceret. Et quum Pontifex magno fastu & indigna arrogantia Imperatorem, diutius iacentem, non subleuaret, hunc *Thiedericum* magna cum indignatione exclamasse ferunt, *cur imperialem auctoritatem Cesar tanta iniuria subiecisset?* Ad quod Pontifex linguæ ignarus, quid *Alemanus* dixerit, ex aliis intelligens, ne quis tumultus subitus oriretur, e vestigio leuauit Imperatorem, & ad osculum de more admisit. *Chron. Lautenberg. ann. 1177. Peucer. Chron. Carion. lib. IV pag. 720.* Cuius tamen rei veritatem multi hucusque in dubium vocarunt, maxime Pontificii, quos ipsos pudet impudentiæ sui Pontificis. *Baronius Tom. XII ann. 1177. n. 9. pag. 852. Christoph. Browerus Annal. Treuirens. lib. XIV pag. 77;* quamuis *Baronius c. l. pag. 851* ingenuè fateatur, *Chronicon Cardinalis Bessarionis*, quod in *Bibliotheca Veneta* seruatur, fa-

famæ vulgatæ adstipulari. Nec ipsum sane factum alienum est a fastu & superbia Pontificum, qui & maiora ausi forent, nisi diuinum illis numen restitisset. Illud tandem addimus, in templo nostro Hallensi, quod B. Mariæ dedicatum, eandem hanc historiam depictam in valuis altaris conspici, vbi Imperator, corona insignitus, humi prostratus iacet, cuius collum Pontifex, thorace indutus & gladio cinctus, pedibus conculcat. Super caput calcantis nomen Pontificis scriptum legebatur, ALEXANDER, quod etsi a monachis quodammodo colore obfuscatum, & pro eo SANCTVS IOSVA substitutum; non tamen obscure, litteris omnibus penetrantibus, Alexandri nomen hodie colligitur. Sed vt ad nostra redeamus, nouos interea motus Henricus Leo, Saxoniae Princeps, conciuerat, ob quos proscripius ab Imperatore, Sclauico milite Thiederici prouincias ingreditur, omnemque agrum igne ferroque vastans, etiam præfectos Thiederici, qui armata manu obuiam iuerant, profligat. Vnde dolore incensus Thiedericus, Henricum in conspectu Cæsaris, ad singulare certamen, quod duellum vocant, prouocauit, qui omnimodo illud declinans, incendiis & ferro grassari pergit, nec Lusatiam modo, sed Misniam quoque & Thuringiam peragrat, donec tandem, multis persuasionibus inductus, Imperatori se committeret. *Chron. Lauterberg. ann. 1180.* Arnoldus Lubec. *Chron. Slav. lib. II cap. XXIX.* Tandem vero Thiederici

dericus Moguntiam ad Comitiam profecturus, in itinere in morbum incidit, vnde in monasterium Montis Sereni delatus, anno CIOCLXXXIV vitam cum morte commutavit, ibique sepultus est. *cit. Chron. Lauterb. dict. ann. pag. 49.* Huius vnicus filius ex legitima vxore *Conradus*, in torneamento Aufriaco, lanceæ ictu anno CIOCLXXX occisus est, cui *Wichmannus*, Magdeburgensis Archiepiscopus, sepulturam non prius concessit, quam Principes consanguinei iurassent, se a torneamento in perpetuum abstinere, nec vsquam in omni ditione sua huiusmodi exercitium permittere, hominesque suos & ministeriales ab eo modis omnibus coercere velle. Quo facto, ante introitum maioris Ecclesiæ Montis Sereni infossus est. *dict. Chron. Lauterb. pag. 40.* Ex concubina *Cunigunda Thiedericum* genuit, qui *Mersburgensis* Episcopus electus, ob natalium maculam difficulter illam dignitatem obtinuit. Confirmatus tandem a Pontifice, præfuit magna laude per vndecim annos Episcopatus.

XVIII. Nunc ad tertium filium *Henricum* pervenimus, qui *Wettinenses* Comites propagavit, de quo & eius posteritate inferius dicemus. Quartus *Dedo* erat, *Rochlicii* Comes, quem *Bertha*, *Dedonis* patruvi vidua, educavit, eique *Groizensem* Comitatum testamento reliquit, qui etiam *Lusatia* Marchio factus est, postquam frater *Thiedericus* anno CIOCLXXXIV sine prole decesserat. Homo obesi & crassi corporis, vnde & *Crassus* cognominatus

E

est:

est: mortuus ventris incisione, quum ad tollendam intestinorum aruinam se medicis commisisset, in Zillensi monasterio, quod ipse fundauerat, pro more illorum temporum est inhumatus. *Chron. Lauterb. ann. 1190.* In Orientali Marchia filius primogenitus, *Conradus*, eum excepit, quem *Philippus Cæsar* cum *Mersburgensi Episcopo*, *Thiederico*, Romam miserat, vt *Innocentium Pontificem*, qui *Ottoni* fauebat, sibi conciliarent. Princeps audax & strenuus miles. Cum *Vlodislao*, *Poloniæ Duce*, qui focer eius erat, ad *Oderam* fluuium conflictit, ingentemque hostium stragem edidit, etiam præcipuum eius castrum *Lubum*, quod corona cinxerat, vi expugnauit. Morte tamen præuentus, victoriam persequi non potuit. *Chron. Lauterberg. ann. 1209.* Frater eius *Thiedericus*, *Summerschenburgensis Comes*, & *Henrici vltimi VVettinensis* tutor, ante fratrem, improlis decessit anno *CI CCC VII.* *Quintus Conradi filius Fridericus*, *Brenensis Comes*, *Ottonem* & *Fridericum* genuit, vtrosque rebus gestis non mediocriter celebratos. *Otto* enim præclaræ indolis documentum dedit, quum *Innocentii III*, Pontificis, legatus, *Cardinalis Guido*, *Episcopus Prænestinus*, *Ludolphum*, *Magdeburgensem Archiepiscopum*, ad *Ottonis* partes, quem Pontificis iussu *Coloniæ Agrippinæ Imperatorem* declarauerat, trahere conaretur, & collecto e *Bohemis* & *Thuringis* exercitu inter *Mersburgum* & *Halam* castra fixisset. Huius enim copias, quas
trans

trans Vonam fluuium prædabundas miserat Cardinalis, haud procul Landsbergam paucis armatis sociis adgressus Otto, supra quadringentos trucidavit. Quo motus Cardinalis, Archiepiscopum, quem ferro non potuerat, anathematis fulmine percussit, dimissoque exercitu, infecta re Coloniam rediit. *Chron. Lauterberg. ann. 1283.* Post hoc præclarum factum breui superstes Otto fuit, quum defunctus esset, in monasterio Brenensi, quod mater fundauerat, sepulturam consequutus: cuius frater *Fridericus* ex asse heres factus, VVettinense quoque castrum accepit, vnde maior infra occasio erit enarrandi eius posteritatem.

XIX. Tandem ad HENRICVM regredimur VVettinensem Comitem, qui ex Sophia Bauarica filios suscepit *Henricum & Vlricum*, ambo VVettinenses Comites. HENRICVS enim adolescens in castro Giuekenstein (*Gibichenstein*) an. CIOCLXXXVII decedens, fratri VLIRICO Comitatum reliquit, qui Philippi Cæsaris socius fuit, quum de imperio cum Ottone IV concertaret. Bellum etiam cum adfines Henrico, Anhaltino Comite, habuisse, auctor est Cyriac. Spangenberg *Chron. Saxon. cap. CCXL pag. 412*, quod ex *Chronicis Brunsvicensibus* confirmat G. Fabricius *lib. v Orig. Sax. pag. 551*. De causa neuter quidquam addidit, infelicissime tamen pugnasse Vlricum, ab utroque relatum est. Ceterum eius mentionem fecit Chronicon Montis Sereni, quod antequam ad Comitatum peruenisset, magnum dorsale



& duas marcas cum dimidia argenti, ad opus calicis B. Petro dedicatas, Iudæis Hallensibus oppignora-
 verit, quæ quum in eo tumultu, quo Iudæorum bona
 anno **CIOCCV** diripiebantur, periissent, in earum
 compensationem, postquam fratris heres factus
 est, molendinum quoddam monasterio donauit.
 Mortuus **VVettini** dysenteria anno **CIOCCVI**,
 filium **HENRICVM**, ex Bernhardi Saxoniae Ducis
 filia susceptum, Comitatus heredem reliquit, qui
 sub tutela Thiederici de Summerfchenburg, & hoc
 anno **CIOCCVII** mortuo, Thiederici, Misniae Mar-
 chionis, educatus, antequam pueritiam egredere-
 tur, præmaturo fato vitam finiit. Calculo enim, il-
 lo diro magnarum mentium cruciatu, a primis an-
 nis adeo adfflictus fuit, vt dum ageret **XII** ætatis,
 qui tertii decimi sæculi decimus septimus erat, ex
 humanis rebus extraheretur. A cuius morte Mis-
 niae Marchio Thiedericus Comitatu illo agnationis
 iure potitus, castrum **VVettinum** *Friderico II*, Bre-
 nensi Comiti, ex pacto concessit, qui in oppugna-
 tione Ptolemaidis, ex vulnere accepto, febris cor-
 reptus, quum se antea Templariorum ordini addi-
 xisset, vitæ mortalis finem consequutus est anno
CIOCCXXI. *Chron. Lauterberg. pag. 118. & 139.*

XX. Nepotes habuit ex *Thiederico* altero fi-
 lio, vt e monumentis Misnensium Præfulum **G. Fa-**
bricius *lib. v Orig. Sax. pag. 554* refert, *Thiedericum & Al-*
bertum, quorum ille Templariorum ordinis socius
 factus, hic *Conradum* genuit, quem communiter vl-
 timum

timum Brenensem Comitem dicunt. Huius vxor Elisabetha fuit, Alberti I Saxoniae Ducis filia, e qua vnicum filium *Ottonem* suscepit, qui anno *CIÖCLXXXVIII* VVettinense castrum hac conditione Magdeburgensi Archiepiscopatu donauit, si absque legitima prole ex vita sibi decedere contigerit, quod etiam vix biennio elapso euenisse memoratur, quum Otto Comes in comitiis, quae Rudolphus Imperator Erfurdiae habebat, anno *CIÖCCXC* vitam cum morte commutasset. Auctor *Addition. ad Lambert. Schaffnaburg. pag. 260.* Ipsius donationis diploma his verbis conceptum accepimus:

Nos Otto Dei Gratia, Comes de Bren, recognoscimus tenore presentium publice protestantes, quod castrum & ciuitatem Wittin, cum uillis & omnibus iuribus ad hec pertinentibus, que donauimus de consensu heredum nostrorum uenerabili Domino Erico, Sancte Magdeburgensis Ecclesie Archi-Episcopo, & Ecclesie Magdeburgensi proprietatis titulo perpetuo possidenda, de qua proprietate ipsum & Ecclesiam Magdeburgensem uarendauimus, prout in priuilegiis nostris desuper confectis, plenius continetur, non infoedabimus nec obligabimus, nec alio aliquo titulo alienationis in aliquas personas, ecclesiasticas seu seculares, nec in aliqua monasteria seu Ecclesias, sine consensu predicti Domini nostri Archi-Episcopi successorumque suorum quomodolibet transferemus, hoc adiecto, quod Aduocatus castellani & castodes turrium, qui uulgariter appellantur Huslude / & ianitores castri, qui Teutonice dicuntur Dorwerdes

E 3

re/

re/ nunc in predicto castro existentes, fide data promittent & iurabunt, quod si nos ab hac uita decedere contigerit sine filiis & filiabus ex uxore legitima procreatis, predicta castrum & ciuitatem cum aliis iuribus, prefato Domino Archi-Episcopo & suis successoribus sine contradictione & impedimento quibuslibet presentent, si uero immutate fuerint persone predictae, alie persone in dicto castro in locum eorum substitute, similiter data fide promittent & iurabunt, quod predicta castrum & ciuitatem cum aliis iuribus, predicto Domino nostro Archi-Episcopo & suis successoribus, nobis ab hac uita decedentibus, presentent sine contradictione & impedimento quibuslibet, ut est dictum. In cuius rei testimonium presens scriptum inde confectum sigilli nostri munimine duximus roborandum, testes uero huius rei sunt Albertus maior Prepositus, Burcardus Decanus, Ropertus de Querrenrode, Burcardus de Blancenburg, Otto de Brerna, Canonicus Magdeburgensis, Richardus Dapifer & Heino dicti de Alsleue, Henningus de nouo Gatersleue, Heindencus de Nigribus, Conradus de Belitz, Hildebrandus de Ouvesfelde, Conradus Smuc, Johannes Hache, Theodericus Schmile, Thedolf de Hidice & quam plures alii fide digni. Dat. Wittin A. Domini MCCLXXXVIII. XVIII Decembr.

(L.S.)

XIX.

XXI. Veritati huius diplomatis, aut donationis potius, derogare videntur, quæ G. Fabricius *lib. v. Orig. Saxon. pag. 554* scripsit, Ottonem hunc ante patrem Conradum decessisse, quo nec diu superstitite, Elisabetham viduam aliquamdiu Comitatus præfuisse, quem tandem Imperatoris Rudolphi consensu anno *cxcccxc* fratris filio Rudolpho, Saxoniam Electori, donauerit. Hunc, ut fieri solet, multi sequuntur, Elias Reusnerus *Stemmat. Wittekind. pag. 31*. Petr. Albinus *Chron. Misn. pag. 389*, & plures alii recentiores. Sed falluntur haud dubie, qui istis fidem habent, quæ nondum firme probavit Fabricius: nec desunt, qui patri huius Rudolphi, Alberto II, Electori, Comitatum eum a Rudolpho Imperatore, cuius gener erat, traditum velint, quibus veteres rhythmici adstipulantur, quos refert Petr. Albinus *Chron. Misn. pag. 433*.

König Rudolph die Pfalz mir gab /
Die Graffschafft Brene mit aller Hab /
Zu seiner Tochter Frau Agneten /
Daß ich die Chur möcht haß vertreten /
Dieweil er hatte des Reichs Macht ic.

Quod si est, cadit illud, quod de Elisabetha regente & donante dicunt, quia his rhythmis Albertus pater de se ipso loquitur, tanquam donatus Brenensi Comitatu a Rudolpho Imperatore, atque ita donatus, ut ad Electoralem possessionem illud donum accesserit, in qua adhuc est, diuisionis pacto celsissimæ Mersburgensi Familiæ tributum. Qui ergo
filio

filio Rudolpho demum Elisabetha donare potuit, quod pater Albertus ab Imperatore Rudolpho, & quidem tanquam Elector, acceperat. Ad hæc perquam difficile ad credendum est, Elisabetham mortuo marito aliquamdiu, siue per aliquot annos, Comitatum possedisse, illumque anno c10ccxc Rudolpho, Electori, donasse, quum eodem anno Auctor *Addition. ad Lambert. Schaffnaburg. pag. 260* Brenensem Comitem Erfurdia*e iuuenem & sine herede* decessisse adfirmet. Ex quo simul apparet, hunc iuuenem filium supervixisse patri, & hereditario iure comitatum illum possedisse. Ipse sane Fabricius mutasse sententiam videtur, quando in *Supplem. Annal. Urb. Misn. ann. 1288 pag. 348. edit. Lips. 4*, Ottonem Brenensem Comitem cum Friderico, Thuringia*e Landgrauio*, Dicemanno, Pleisen*si Marchione*, Alberto Anhaltino, & Præfulibus Misnensi, Mersburgensi & Numburgensi contra latronum insultus, Grimmæ fœdus iniisse adfirmat, quos omnes etiam Cyriacus Spangenberg recensuit *Chron. Querfurtens. lib. IV cap. XI*. Quod si autem eo anno superstes parens fuisset, haud dubie ad tanti momenti actum, vnde salus reipublicæ pendeat, non admisissent fœderati filium, maxime, quum parentis nullam penitus mentionem ille fecerit. Hinc miror Petr. Albinum in *Descript. Dom. Saxon. & Insign. pag. 309* adseruisse, daß die Graffschafft Wettin von der löblichen Landsfürsten zu Sachsen Vorfahren und Anherren besessen worde

worden/ biß allererst auf das Jahr 1373/ da es Albrecht von Sternberg/ Erzbischoff / zu Magdeburg bracht/ quum iam ante Albertum Wettinense castrum præfectos habuit, quos Magdeburgenses Archiepiscopi illi præfecerant. Fidem vt his faciamus, litteras Thiederici a Schierstedt / Wettinensis Præfecti, quibus fidem & obedientiam Thiederico Archiepiscopo pollicitus est, integras inferemus, quæ ita habent:

Ich Dierik von Schierstedt / Bond zu Alsleiben / Wettin / Krosigk und Fredeberg / mynes Hern Hern Dietrich / Erzbischoffs des heyligen Gottshufes zu Meyenburg / bekenne offenbar mit diesen Brieue / daß myn vorbenannte Here zu Meyenburg mir münthlich geheizen und bevolen hett / wenne her sterbe / dar Gott noch lange vor sy / daß ich mit dem ergnanden vesten / und mit allen dem daß darzu gehoret / de ich von syn und synes Gottshufes wegen zu Meyenburg lediglich und ane Phand inne habe / ane Fredeberg / daß mir dreyhundert Marck Brandenb. Silvers Phandes steit / fall und wille gehorsam syn / und dar treulichen mitte woren / unde nymande anders / den den Erbaren Lüten und Hern / Hern Herman von Werberge / Dohm Provisten / Herrn Friedrich von Plozk / Dohm Dechene / Herrn Burgarde von Männischen / und Herrn Brak von Scraplar / Dohmherrn zu Meyenburg / Hern Hennige von Steinfordte / Hern Otte von Dießkau / Hern
J
Mey-

Meynichen von Schierstedte / Rittern / und Claus
 von Byßmarcke / Knechte Mannen des vorbe-
 nandten Gottshuſes zu Meyenburg / aber von
 den Börgern zu Meyenburg / Heine Alemannen /
 Brüne Hofenmeckere / und Thielen Geizinae / und
 von dem Börgern zu Halle / Henſen Zistorpe /
 Bertramme Piſkere / und Henſe Statin / de myn
 vorbenante Here von Meyenburg / by ſinen lebende
 darzu gekoren / und yn das uf yre Ende eyn-
 drechtlichen bevolen hatt / und was mir de = = = =
 den ergnanden Beſten eynrechtlichen tun und laſ-
 ſen heißen / daß will ich und ſoll treulichen tun ane
 allen wieder = = = = = ſoll ihn auch gehorſam ſyn
 mit allen treuwen ane allerley Argeliſt und auch
 by mynen Ende / den ich darzu ge = = = = = unde
 geſchworen habe lyphaſtiglich zu dn Heyligen des
 vorbenanden Gottshuſ / uf den ergnanden beſten
 vor allerley unredlicher koſte / Uſſchlag und Scha-
 den treulichen bewaren / alß ich allerfördeſt kan
 oder mag / ane alle Geverde und Argeliſt / als lan-
 ge das den Gottshuſe eyn Here / eyn Erßbiſchoff
 kömt / der beſtädiget iſt von Stole zu Rome / und
 das Pallium hat / deme ſoll ich und deme will die er-
 gnaden veſten mit aller Zubehörunge abtreten /
 unde in antwerten unbetwungen und ane alle te-
 dynge Wiederrede und Vorzug / nach eynträchtli-
 gen Geheiße der vorbenannden / die myn Here von
 Meyenburg darzu gekoren hat / die haben auch vul-
 le Macht nach mynes vorbenannden Hern Tode mich
 und

und eynen welchen syner Bonden / von der Bonden
 zusehene abe / zu des wille auch ich gerne und solle
 allezeit völgich und gehorsam syn / unde mine Fre-
 deberg / das mir Phandes steit / soll ich halten an
 allen Stücken / also die Brieve uswiesen / de mich
 myn Here von Meyenburg und syn Capittel daru-
 ber gegeben haben / sinder dewile myn ergnande
 Here von Meyenburg lebt / so sollen ym diese Brie-
 ve unschädlich syn / unde so ein soll ich noch en wyl
 nymande mit den ergnanden vestem warten / noch
 gehorsam syn / weme mynen ergnanten Hern von
 Meyenburg selbit. Alle diese ergnanden Stücken /
 globe ich in guthen Treuen / unde habe dis auch
 Inphastiglich eynen Endt zu den Heyligen geschwo-
 ren / stete und veste zuhalten ane allerley Argelist /
 also vor bescreven steit. Zu Urkunde habe ich
 myn Insiegel an diesen Brieu gehenget. Gege-
 ben zu Meyenburg nach Gottes Gebort Drigen-
 hundert Jahr / in den Seben unde Sechzigsten
 Jahr / des neysten Sontags nach Sente Matthias
 Tage / des heyligen Apostels.

(L. S.)

XXII. Ex illo itaque tempore Wettinum,
 cum omnibus eo pertinentibus rebus, Archiepisco-
 pi possederunt, usque ad Guntherum Præsulem,
 qui primus arcem Wettinensem cum agris qui-
 busdam circumiacentibus, bis mille & trecentis flo-

renis Rhenanis nobili Ammendorffio oppignera-
 vit, quam postea eidem & Casparo Winckelio, Fri-
 dericus, Comes de Beichlingen & Archiepiscopus,
 anno **CIOCCCCXLVI** vna cum arce Krosig hoc
 pacto vendidit & in feudum concessit, vt præter
 ius Aperturæ ac Sequelæ, omnes cuiuscunque ge-
 neris fodinas, quæ vnquam in hoc alienato agro
 repertæ forent, sibi & successoribus Archiepisco-
 pis seruaret, quod in tabulis feudalibus ita expref-
 sum legitur: doch usgeschloßen unsere erbare Mann-
 schafft/ mit unsern Lehn geistlich und weltlich / und unser
 Bergwerck / daß in den genandten Gerichten Wettin und
 Krosig funden werden möchte und isz vor Augen ist/ daß
 wir auch und unsere Nachkommen Macht zusuchen ha-
 ben / und in welchen Grunde wir wollen. Fertilis
 enim circumiacens terra est metallorum, & si hi-
 storiis fides habenda, omni eorum genere abun-
 dans ita, vt non solum ferrum stannumque, sed
 cuprum etiam, & quod non raro huic adnexum
 est, aurum inde haufisse dicantur Comites. Hodie
 inter alia carbones ibi copiose effodiuntur, quos
 quamuis inter metalla numerari multi Ictorum no-
 lint; prouentus tamen magnitudine metalli fodi-
 nas etiam superant. Diu equidem elaboratum
 fuit, vt ad iustam perfectionem perduceretur opus;
 tot vero semper difficultatibus impeditum, vt fatis
 ad augendam potentissimi Principis, **FRIDERI-
 CI III**, Electoris Brandenburgici, felicitatem ser-
 uatum esse videatur, sub cuius auspiciatissimo im-
 perio,

perio, quod frustra alii conati fuerant, breuissimo temporis spatio, consiliis illustrissimi Domini, EVERHARDI DANCKELMANNI consummatum & in illum statum adductum est, vt iam non modo vicinis locis, sed externis quoque & remotis abundanter ex eo prospici possit. Et horum vtilitas eo maior est, postquam augustum opus, quo Salæ fluuius tot aquarum impedimentis retardatus, nauigationi exercendæ aptior redditus, in Germaniæ admirationem perfectum fuit, vt iam absque remora, non solum Wettino in nostram Halensem urbem nauibus, sed inde ad Albim quoque demissis, procul in disiunctas regiones leui sumtu nauigari possit. Ius Aperturæ feudales litteræ his verbis expresserunt: Auch sollen die obgenandten Schloße Wettin und Krosig ewiglich Uns und Unsern Nachkommen Erzbischoffen und Gottshuße zu Magdeburg offene Schloße syn / zu allen unsern Sachen / Kriegen / Geschäften / Willen und Nöthen / und sie sollen und wollen Uns / Unsern Nachkommen Erzbischoffen und Gottshuße damitte getreuweligen dienen und helffen / wieder allermenniglich / nymande usgeschlossen / wann und wie sie es ernannet werden. Status enim illorum temporum exigebat, vt omnibus castris, etiam quæ in feudum concessa erant, vt suis vti possent Principes, vnde latrociniis, quibus eo tempore laborabat Germania, resistere, aut si quando infelicius pugnatum esset, in ea se tuto recipere valerent. Hinc plerumque tale feudum vasallus reddere Domino, & nisi pactis



aliter conuentum erat, aliorum migrare tenebatur, si imminente belli tempestate illo vti vellet Princeps; ob quam causam illas arces *reddibilia castra* vocant Wehnerus *Observat. Pract. voc. Dessenung*. Rosenthal *de Feud. cap. II. Conclus. LXXVIII*. Ab hoc autem tempore arx Wettinensis cum adnexo praedio penes nobilem eorum familiam, qui *aus dem Winkel* vocantur, permansit, quibus tamen ius possessionis nuper in dubium vocari coepit, cuius euentum dies declarabit.

XXIII. Restat vt de *BURGGRAVIATV* Wettinensi, cuius in historiis quoque vestigia supersunt, quaedam adiungamus, quibus pauca de diuersa Burggrauorum dignitate praemittimus. Qui hodie in Principali dignitate sunt, ab ipsis Imperatoribus constituti fuere, vt iudices essent, & vrbes ac castella Imperii, aut Episcoporum, qui initio summa iurisdictione destituti erant, Imperatoris nomine, armis tuerentur. Quatuor supersunt, qui hoc titulo vtuntur, postquam Misniae Burggraviatus, vi transactionis inter Mauricium Electorem & vltimos Burggrauos, Dominos de Plauen, extincta anno *MDCLXXII* ea Gentis familia, cuius propria illa dignitas fuerat, ad Saxoniae Electores transiit; Noribergensis, Magdeburgensis, Strombergensis, & Reineccensis. Reliqui sequioris conditionis sunt, non tamen infra Comitum aut Baronum. Et his aliquando praeter ceteris regionibus vicina Misnia abundauit, in qua
Burg-

Burggravii Leisnicensis, Altenburgensis, Dewinensis, Cizensis, aliique, vel vno diplomate monasterii Cellensis, **CIOCCXXIII** dato, memorantur, auctore P. Albino *Chron. Misn. pag. 199*. Hos autem Principes constituerunt, non vt iudices essent, sed vt auxilium ferrent in defendendo castro & regione. Inde singulare Feudorum genus natum, quod *castrense* vel *burgense* aut etiam *burgaticum* dixerunt, Germanice **ein Burg-Lehn** / de quo *Wurmser. de Feud. improp. Cl. 3. Sect. 21* videatur. Ex hac igitur classe etiam *Wettinensis Burggravius* fuit, cuius primum, quod sciam, Auctor *Chron. Lauterberg. pag. 119* mentionem anno **CIOCCXVII** fecit, quo Fridericus II, Brenensis Comes, Wettinense castellum a Thiederico, Misnensi Marchione, ex pacto acceperat. Ex hoc tempore habuisse prædictum castrum suos Burggravios non dubitamus, quos etiam in magna dignitate fuisse subscriptio testatur *Ioannis Burggravi* in diplomate, Iudæorum leges continente, quas Imperator Henricus VIII, Misniæ Marchio & Thuringiæ Landgravius, anno **CIOCCCLXV** tulerat, quod exhibent *Melch. Goldastus Tom. III Constitution. Imperial. pag. 399. G. Fabricius Annal. Urb. Misn. pag. 112*. Tandem vero titulus sub Archiepiscopis Magdeburgensibus exoleuit, feudo tamen & hodie Burgi nomen relictum: vnde in tabulis feudalibus **das Burg-Lehn zu Wettin** vocatur, vt ex litteris **Alberti Archiepiscopi, Brandenburgensis Marchionis**

t aut, vt alii tradunt, Henricus,

nis & vna Electoris Moguntini, anno **CICICXIV** Halæ signatis, apparet, quibus nobilibus ab Trotten illud his verbis contulit: Desgleichen hat S. J. Gn. Ihm auch geliehen das Burg-Lehn zu Wettin / mit allen ihren Freyheiten und Gerechtigkeiten ꝛ. quæ de verbo repetita sunt ab Ioachimo Friderico, Archiepiscopo & Marchione Brandenburgensi, **CICICLVII** anno. Et hæc Trottenorum familia continuata serie hoc feudum vsque ad annum **CICICLVIII** possedit, quo Numburgensis Cancellarius & S. R. I. Eques, *Ioannes Henricus Menius*, emtionis titulo adquisiuit, cuius filius nouo pacto in *Ioannem Iulium a Biesenroth* transtulit, a quo tandem ad illustrissimum Dominum, Dominum **EVERHARDVM**, Liberum Baronem de **DANCKELMAN** peruenit, vnde auspiciatus nomen **die Danckelmanns-Burg** accepit, cuius & ceterorum prædiorum felicem possessionem, & maxime consiliorum, quæ vniuersa in Statu Brandenburgico moderatur, prosperrimos successus adprecamur.

XXIV. Hæc pauca de illustri Comitum Wettinensium Gente inuenire nobis licuit. Tam obscure & parce conscripta sunt, quæ ad median illam ætatem pertinent, qua omni Europæ horrenda barbaries, tanquam atra caligo incubabat. Non dubitamus quidem in Archiuis nonnulla latere, quæ ad Gentem hanc illustrandam aliquid conferre possint, quemadmodum etiam spes nobis ad consequendum aliquid apparuit: sed vere tantum apparuit, plenam lucem in his tenebris nobis negauit.

Colle-

Collegimus tamen, quantum potuimus, vt vel alios inuitemus, quibus maior copia est penetrandi Archiua, aut abstrusas res inueniendi. Vt autem quæ diximus, summam repetamus, & quem fructum illa ferant, omnibus ad intuentum proponamus; in breui tabula Wettinensium Comitum genealogiam & successiones ostendemus, vt in conspectu sit, quam nobilis fuerit Familia, & quam illustres genuerit Principes Successores. Antequam vero illam tabulam exhibeamus, quod partem eius non exiguum monumentum Montis Sereni, nunc S. Petri, illustrat; ipsum illud, vti restauratum superest, breui delineatione cum suis simulacris & epitaphiis describemus.

XXV. Monumentum est ex cæso lapide structum, quadrangulum, forma & altitudine altaris, in cuius summa superficie imposita simulacra sunt Principum & Comitum ibidem sepulchrorum, non erecta vt starent, sed iacerent potius instar dormientium, ad mortuorum statum, quem subierunt, eo pressius repræsentandum, qua de causa singulorum capiti puluinus subiectus visitur, ex eodem lapide, quo corporis imago, artificis manu excisus.

Qui primo loco positus videtur, CONRADVS
G DVS

DVS est, Marchio Misniæ atque Lusatiaë, Thimonis Wettinensis Comitis filius, conditor huius monasterii in Monte Sereno siue S. Petri, qui diem obiit CIOCLVI.

Secundum locum tenet LVCARDIS ex Sueuia nobilitate, vxor laudati iam Marchionis Conradi, quæ decesserat ex vita anno CIOCLVI.

Tertia est MECHTILDIS, soror eiusdem Conradi, mater Wichmanni, Archiepiscopi Magdeburgensis.

Quartus HENRICVS Senior, Comes VVettinensis, filius Marchionis Conradi, conditoris sæpe laudati, mortuus CIOCLXXI.

Quintum locum tenet HENRICVS Iunior, Comes VVettinensis, filius Henrici senioris, morte interceptus CIOCLXXVII.

Sextus THIEDERICVS est, Marchio Lusatiaë, filius Marchionis Conradi, sepultus CIOCLXXXIV.

Septimus in hac illustri serie est FRIDERICVS Comes Brenensis, Marchionis Conradi filius, extinctus CIOCLXXXVI.

Huic

Huic proxime appositus est *octavus* ordine,
CONRADVS, filius Thiederici, Marchionis
 Lusatiae, confossus equestri certamine **CIOCLXXV**.

Hunc contingit *nonus*, **VLRICVS** Comes
 VVettinensis, filius Henrici senioris VVettinen-
 sis, qui extinctus est anno **CIOCCVI**.

Tandem *decimus* qui hic situs, **HENRI-
 CVS** Comes VVettinensis est, filius Vlrici VVet-
 tinensis **CIOCCXVII**, ætatis anno **XII** præmatura
 morte sublatus.

Addit aliquos Petrus Albinus *Chronico Misnie
 tit. XX pag. 585. seq.* quos laudatum monumentum
 non tenet, ipse vero ibidem sepultos memorat,
Thiedericum nempe, Thiederici Marchionis Lusa-
 ti filium, Episcopum Mersburgensem, nepotem
 Conradi conditoris: & *Dobergenam*, iam dicti Thie-
 derici Lusati coniugem, Mesiconis Poloniae Ducis
 sororem. Qui successerunt ex hac Gente, quod
 Brenensem Comitatum vna possederunt, inde
 quoque titulum adepti; plerique sepulti sunt in
 monasterio Brenensi, quod Hedwigis, Friderici
 Comitis Brenensis vidua, Dipoldi Bohemiae Ducis
 filia, in oppido Bren, altero ab Hala nostra milliario,
 condiderat, quod vero nunc ita euersum deuasta-
 tumque iacet, vt in parietinis, quæ supersunt, ne
 ve-

227 7c 1096

52 DE COMITATV WETTINENSI.

vestigium quidem monumentorum illustrium invenire liceat.

Reliquum, quod hoc loco, de posterorum dignitate adferri possit, ex conspectu genealogicæ tabulæ, quam subiungimus, cognosci potest, ex qua luculente perspicitur, qua ferie per Misniæ Marchiones a VVettinensium Comitum stirpe propagati sint serenissimi Duces & Electores Saxoniae.

ADDENDVM.

Pag. 47 lin. 21 post Imperator Henricus VIII, *insere*, aut vt alii tradunt, Henricus,

no



Fridericus
Zorbec.B

Fridericus
Episcop. Monast.

Dedo
Misn. Marchio m. 1083.

Dedo
interfect. a. 1070.

Henricus
m. 1103.

Henricus II.
Misn. March. m. 1127.

Otto Diues
Misn. Marchio m. 1189.

Thiedericus
Lusat. March. m. 1184.

Thiedericus
Com. Weisensfels. & m. fratr.
Misn. March. m. 1220.

Conradus
in torneam. oc-
cibus a. 1175.

Thie
ex co II
na, Me
Episc.

Henricus Illustris, primus Thu-
ring. Landgrav. m. 1287.

Albertus Degener m. 1315.

Fridericus Admorsus m. 1326.

Fridericus Grauis m. 1349.

Fridericus Strenuus m. 1380.

FRIDERICVS Bellicosus, primus
Saxon. ELECTOR. m. 1428.

DERICVS

ALBERTVS

CONRADVS




OTTO III.

m. 1290.

mus Brenensis
mes. Succesit
chiepisc. Ma-
eb. in Werti-
nsi Comitatu.


ORDO ET SERIES COMITVM WETTINENSIVM.

Wittekindus Iunior



ORDO ET SERIES COMITVM WERTHEMBERGIVM

178 2



Prætorius

Prætorius

Comites

Episcopus

Willelmus
Comitis

Prætorius

Prætorius

Otto Dux

Comitis

Prætorius

M. M. M. M.

Otto I. Prætorius II

Comitis

Comitis

Prætorius

Comitis

Comitis

Otto II. Prætorius

Comitis

Comitis

Prætorius

Comitis

Comitis

Comitis

Comitis

Comitis

Otto III.

Comitis

Comitis

Prætorius

Comitis

Comitis

Prætorius

Comitis

Comitis

Prætorius

Comitis

Comitis

Prætorius

Comitis

Comitis

Prætorius

Comitis

Comitis

Prætorius

Comitis

Comitis



ULB Halle
004 779 886

3



VOT





QK. 4, 21.
d. 17, 21.


ET S
CO

WET
Ad Sere

EX ANTI
DEDVO

CHRISTOP

HA
Sumtu IO. F
Exscriptit c



V c
1096

S
M

M
niae

NTIS
AE

ARIO,

ol. Lipf.
ypogr;

4.

